

CAPUT SECUNDUM.

APPLICATIO NOTARUM ECCLESIE AD VARIAS CHRISTIANI
NOMINIS COMMUNIONES.

88 — Status questionis. — 89 — PROPOSITIO : *Communio Catholico-Romana*, — *et quidem sola — est, pleno jure, vera Christi Ecclesia* : ipsa enim, et nulla ex aliis, sive *singulariter*, sive *collectivè* sumptis, est I^o *societas una*, II^o *apostolica*, III^o *catholica*, et IV^o *sancta*. — **90 — SCHOLIUM : De prosperitate *temporalì* populorum tum catholicorum, tum dissidentium, seu de influxu Catholicismi in *civilisationem*. — 91 — CONCLUSIO.

88. — **Status questionis** : — Christianismus, uti jam in *Tr. de Verà Relig.* vidimus (p. 98), divisus apparet in plures, ut aiunt, *Communiones*, in quibus nempe singulis, sive unâ tantùm Ecclesiâ constant, sive pluribus, membra inter se in cultu uniuntur. Tres porro præcipuæ hujusmodi Communiones impræsentiarùm adsunt, scilicet :

1^o Communio *Catholico-Romana*, quæ Christianorum partem plusquàm dimidiam (1) complectitur in unâ Ecclesiâ sub Pontifice Romano unitam ;

2^o Communio Græca, quæ sese *Orthodoxam* vocat, et pluribus quidem constat Ecclesiis vel Ecclesiarum aggregationibus ab invicem independentibus sed inter se tamen fide et communionem junctis (2) : — Iis insuper adja-

(1) V. Auctores in *Tr. de verà Rel.*, loco modò cit., indicatos.

(2) Juxta statisticam quam videre est ap. *Ami de la Religion*, 5 Jan. 1860, Communio Græca tunc temporis habebat 279 Episcopos valde inæqualiter dispersitos in decem ecclesias ab invicem independentes seu, ut aiunt, *autocephalas*. Hæ nempe erant

1^o Patriarchatus C. P., cujus Patriarcham haberi volunt tanquam Centrum quoddam communionis pro ecclesiis etiam ab eo independentibus ;

2^o Patriarchatus Alexandrinus ;

3^o Patriarchatus Antiochenus ;

4^o Patriarchatus Hierosolymitanus ;

5^o S. Synodus Russiaca à Petro I in locum Patriarchæ Moscovitani sub-

cent in Oriente, sed fide et communionem separantur, minores quædam Ecclesiæ quæ ab antiquis Nestorianis vel Eutylianis ortum habuerunt (1) :

3^o Multiformes demum adsunt Ecclesiæ quæ sub generico nomine *Protestantium* comprehendi solent (2), sive inter se communicant, sive non ; quod aliquatenus incer-

stituta, sed quæ, de facto, ab Imperatore suo tota dependet (V. suprâ p. 88, *not.*, et cfr *Etudes des P. Jês.*, 1867, t. XII, p. 693 et ss.) ;

6^o Metropolitanus Cypri cum suis suffraganeis ;

7^o Metropolitanus, seu, uti jam se fert, Patriarcha de Carlowitz, in Austriaco imperio, cum suis suffraganeis ;

8^o Episcopus unicus Montis Sinai ;

9^o Episcopus unicus de Montenegro ;

10^o S. Synodus Regni Hellenici.

Ita quidem, a. 1860. — Extunc aulem Ecclesiæ tum *Roumanorum* tum *Bulgarorum* sese etiam aut ferè aut omninò independentes fecerunt (V. circa Roumanos *Etudes des P. Jês.*, 1865, t. VII, p. 321 et ss. ; et, circa Bulgaros, *l'Univers*, 4 oct. 1872) et sic Ecclesiæ *αυτοκεφαλοι* semper multiplicantur.

(1) E Nestorianis quidem orta est Ecclesia *Chaldaea*, in Mesopotamiâ, uno Patriarchâ cum aliquibus Episcopis constans. — Ex Eutylianis autem seu Monophysitis orta est tum, in Syriâ, Ecclesia *Jacobita* suum habens Patriarcham titulo Antiochenum cum quibusdam Episcopis, — tum, in Ægypto et Æthiopiâ, Ecclesia *Copta*, suum etiam habens Patriarcham titulo Alexandrinum cum suis Episcopis ac speciatim Metropolitanò Abyssiniæ ; — tum demum, in Asiâ Minore et Turciâ, Ecclesia *Armena schismatica vetus*, quæ suos quoque habet Patriarchas cum Episcopis olim præsertim numerosioribus (V. *Et. des Jês.* 1866, t. IX, p. 213). — In omnes istas Ecclesias V. *Revue Cathol. de Louvain*, 1869, fév., mars, mai, etc., cum Auctoribus specialibus illic indicatis.

Observandum est minimè cum sectis illis Orientalibus confundendas esse varias illas ecclesias quæ ex iis ad Communionem Catholicam redierunt, servatis tantùm propriis ritibus, quæque ideò dici solent *Græci-uniti*, *Chaldaei-uniti*, *Syri-uniti*, *Coptæ-uniti*, *Armeni-uniti* (è quibus nuper exierunt *Armeni-neoschismatici*). — De iis omnibus V. *ibid.*

(2) Circa statum actualem Ecclesiarum Protestantium, imò et Aatholicarum omnium generatim, quædam reperire est apud unum ex ultimis operibus quæ Dœllinger publicavit adhuc catholicus : *L'Eglise et les Eglises*.

tum est et variabile (1); — atque insuper parvæ, si quæ sint in Occidente seorsim sectæ, uti v. g. Ecclesia Jansenianorum in Hollandiâ (2), et nuperrimi *Veteres-Catholici*, qui cum Jansenianis illis communicant.

Porro Communio Catholico-Romana asserit et semper asseruit se solam esse veram Christi Ecclesiam et pleno jure privilegia talis Ecclesiæ obtinere. Cæteræ verò Communiones idem quæque de se diu dixerunt, sed jam nunc generatim tanquam partes tantum veræ Christi Ecclesiæ se ferunt, et, quæ tales, privilegiorum ejus, unâ cum Communione Catholico-Romanâ, — velit, nolit, — aliquatenus participes esse contendunt. (V. suprâ, n. 83). Unde, ad illas revincendas, jam non satis est, cum plurimis theologis, ostendisse quod nulla ex iis singulariter sumpta potest esse *vera Ecclesia Christi*; sed ostendum est etiam quod nulla ex iis potest esse propriè *de verâ Ecclesiâ Christi*, et consequenter privilegia ejus pleno jure participare. — Sit igitur

89. — Propositio : *Communio Catholico-Romana, — et quidem sola, — est, pleno jure, vera Christi Ecclesia.*

Etenim illa omnes veræ Christi Ecclesiæ notas ex se sufficienter possidet, — dum, è contrâ, nulla è cæteris Communionibus eas ex se sufficienter habet, aut in iis quæ apud Communionem Catholico-Romanam exstant, jus aliquod sibi vindicare potest. — Scilicet :

I.

Vera Christi Ecclesia imprimis debet esse *societas*, et quidem *societas una*, una *quoad Auctoritatem*, una conse-

(1) V. v. g., ap. P. Newman : *Hist. de mes opin. relig.*, p. 219 et ss., quàm ægrè tulerint Puseystæ Ecclesiam Anglicanam cum Lutheranis et Calvinianis communionem inire; speciatim p. 226.

(2) De hujus Ecclesiæ origine V. Blanc C. *d'Hist. eccl.*, lec. CLXXXIX, 5.

quenter et *quoad fidem* et *quoad praxim*, prout ab *Auctoritate determinantur*.

Atqui I — Communio Catholico-Romana est verè *societas*, et *societas una*; quippe quæ *unam* admittit, è jure divino, *Auctoritatem* (1), et hanc plenam et infallibilem; atque inde *unitatem*, tum *in fide*, tum *in praxi*, ab *illâ Auctoritate determinatam* quasi necessariò servat : quemcumque enim ab unitate præscriptâ desciscentem potens est hæc Auctoritas extrâ Communionem facere.

II — E cæteris verò Communionibus, 1° si unaquæque singulariter sumatur, aliquam forsitan apud se admittet

(1) **Objicient** forsitan 1° : « Esto, quod Catholico-Romani *unam de jure*, Auctoritatem admittant, at non, *de facto*, omnes *eandem* semper agnoverunt; etenim per plures annos, durante Magno Occidentis Schismate, inter duos vel tres simul Pontifices erant divisi, licet communionem inter se servant. »

Resp. juxta principia suprâ exposita (p. 213) : Una tunc temporis Auctoritas supererat, et à plerisque saltem, suprâ Pontifices de quibus contendebant, agnoscebatur, Auctoritas videlicet Corporis Episcopalis, ad quod provisoriè, ob dubium generale circa legitimum Papam, suprema Potestas devolvebatur, sicut in tempore alicujus perlongæ vacationis S. Sedis; ideòque ab utrâque parte ad invicem communio servari poterat et servabatur (V. Bourgeois du Chastenet : *Nouv. hist. du Conc. de Constance*, 1718; *Préface*). Non enim unitati super Auctoritatem supradictam fundatâ magis officiebant excommunicationes à Pontificibus dubiis tunc temporis latæ, quàm, tempore ordinario, excommunicatio alicujus episcopi ab alio episcopo unitati officere potest in S. Pontifice fundatâ. De toto cæteroquin illo negotio V. ad calcem *APPENDICEM XIVam*.

Objicient 2° : « Etiam extincto Schismate, per quadringentos et quinquaginta annos, Communio Catholico-Romana unam quidem *in abstracto* Auctoritatem supremam sed non reapse *eandem*, etiam de jure, agnovit : alii siquidem illam extunc in Pontifice Romano reposuerunt, alii verò, nempe Gallicani, illam in Corpore Episcopali ultimâ positam habere perrexerunt, usque ad Concilium Vaticanum. »

Resp. : «... Sed universi simul illam indubiè positam agnoscebant in Pontifice Romano et Corpore Episcopali simul junctis : qui reapse ab invicem nunquam divisi sunt (nec enim dividi poterant nisi per hypothesim, juxta nos, impossibilem; cfr suprâ n. 52). Et sic una semper ab universis habebatur Auctoritas suprema et infallibilis.

Auctoritatem, at generatim non ex se infallibilem; ideoque, etiamsi quamdam apud se fortè exhibere possit *societatis* formam, quamdam etiam *doctrinae et disciplinae unitatem* (1), at certè *non determinatam prout in verà Christi Ecclesià esse oportet.*

Verùm et 2º, si plures simul vel cum magnà Communionem Catholico-Romanà sumantur, uti generatim hodiè volunt, multò minùs in tali congerie aliquam societatis speciem et doctrinae ac disciplinae unitatem veræ Christi Ecclesiæ essentialem certè reperire erit. Ex iis enim A catholicorum cætibus, — 1 — alii nempe qui se confitentur apertè Protestantes, nullam in illà magnà quam invocant, Communionum Christianarum unione Auctoritatem agnoscunt infallibilem, per quam, è jure divino, societas constituatur ac unitas fidei et praxis determinetur. Neutiquam igitur Ecclesia illa magna cujus partes sese esse confidunt, esse poterit vera Ecclesia Christi: — 2 — alii autem, uti Græci et Anglicani *Vix mediæ* sectatores, talem quidem Auctoritatem illic olim viguisse et denuò resurrecturam fore confidunt; at multò etiam faciliùs, ex illà ipsà suà concessione, ii convincentur:

« Auctoritatem, inquam, admittis à Christo institutam esse plenam et infallibilem, cujus exercitium è solà Ecclesiæ bifidà vel trifidà discissione jam à pluribus sæculis

(1) Cæterum quàm exilis sit et variabilis hæc unitas *facti* apud diversas generatim Protestantium Ecclesias supra ostendimus (p. 295): imò nec multò magis apud ipsos Anglicanos valet (V. ap. *le Correspondant*, 10 sept. 1868: *Le Synode Pan-anglican.* — Græci autem, si sectas excluderis apertè declaratas, quales in Russià præsertim pullulant, aliquam nihilominùs servavere apud se fidei unitatem, — exteriorem saltem, (nam cfr de Maistre: *Du Pape*, l. IV, ch. 1); — adjuvante nempe omnis ferè activitatis intellectualis absentia, cum rationibus politicis. — In puncto tamen gravissimo, etiam publicè dissentiant Russiaci à Græcis propriè dictis, nempe circa validitatem baptismi Occidentalium more collati. V. *Revue de Louvain*, art. cit. suprà p. 299, occasione W. Palmer.

impeditur. Verùm undenam, de jure, stare debuit Auctoritas illa plena et infallibilis, quam in ecclesiis apostolicis ante discissionem viguisse admittis?... Certè, ex parte majori, sive in Concilio sive extra Concilium (utì supra observavimus, p. 302). — Atqui undenam, in scissione Græcorum et Latinorum, stetit pars major?... Certè, ex parte Latinorum: illinc enim non modò Papa, quem agnoscere nolitis, sed et Episcoporum majoritas. — Ergo illinc etiam stetit Auctoritas plena et infallibilis; proindeque Græci rebellionis et erroris convincuntur.

» Rursùs vero, in scissione Anglicanorum et Romanorum, undenam etiam stetit pars major?... Certè, ex parte Romanorum, utì simili ratione patet. — Ergo illinc etiam stetit eadem Auctoritas, et Anglicani proinde rebellionis et erroris etiam convincuntur.

» Ergo demùm tum Græci, tum Anglicani omni jure et jurisdictione in Ecclesià privari meruerunt, nec certè possunt partem illius necessariam se gerere (1). »

Similiter et de cæteris omnibus Ecclesiis à Communionem Catholico-Romana discissis ratiocinari potest; nam, ut ait Bossuet: « Que l'on considère toutes les sectes qui se sont » jamais séparées de l'Église; nous mettons en fait qu'on » n'en nommera aucune qui, ramenée à son commencement, n'y rencontre ce point fixe et marqué, où *une » parcelle combattait contre le tout*, se séparait de la tige... » (1º *Instruct. pastorale sur les promesses faites à l'Église*, n. XIV).

Ergo, summatim, vel ex hæc primà *societatis et unitatis* consideratione, probatur Communionem Catholico-Roma-

(1) Hinc S. Sedes dum profectò preces pro Græcorum Anglicanorumque ad Catholicam unitatem reditu summopere commendat, vetuit tamen quasdam *uniones precum* ab Anglicanis Puseystis propositas, quibus nempe tres supradictæ Communiones veluti legitima ex æquo partes veræ Ecclesiæ admittebantur. V. Litt. Em. Manning: *De la réunion de la chrétienté*, ap. D. J. Gondon, op. suprà cit. *Introd.*

nam jus habere sese unicè ferendi veram Ecclesiam Christi. Insuper autem

II.

Vera Christi Ecclesia debet esse societas *apostolica*, i. e. nempe, edocta ac gubernata per Pastores qui — 1 — *missionem ab Apostolis* habeant non interruptam, simulque — 2 — *consensum perseverantem successoris Petri*, utpote Ecclesiæ Centri et Capitis.

Atqui I — Communio Catholico-Romana nonnisi tales Pastores habet. Omnes enim in hâc Communionem Pastores — 1 — ab aliquo Apostolorum (nempe, à Petro saltem, uti suprâ annotatum est, p. 223, *not.* 1) non interruptâ serie veniunt; neque — 2 — ulli apud eam verè Pastores habentur nisi maneant Romano Pontifici uniti atque subditi. Porrò Romanus Pontifex Petri proprius ac directus successor existit; ipsam enim tenet Sedem in quâ Petrus mortuus est, — sicuti facile probare est duplici argumento, *theologico*, scilicet et *historico*.

Et quidem 1° *argumento theologico*: quum enim probatum sit Petri successorem, utpote essentielle Ecclesiæ Centrum et Caput, perpetuò exstiturum esse, certè igitur alicubi existit et quâ talis habetur. Atqui nullus unquam alius ac Romanus Pontifex talis habitus est et etiamnunc habetur. Ergo ipse est (1).

(1) Quàm convenienter supremus Pontificatus uni episcopatu particulari à Christo alligatus sit, ita ut « quicumque in hâc cathedrâ Petro succedit, » ita secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam » Ecclesiam obtineat » (*Conc. Vatic.*, loco cit.), ostendit Bossuet in ipsâ *Defensione declarat.*, l. X, c. v, quem probat et sequitur Perrone, n. 574. Nempe, « Petri successores, cum ordinandi fuerint, è cælo lapsuri non » sunt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari » commoverique oportebit. Necesse ergo est, aliqua ut sit catholicæ Ecclesiæ pars, ex quâ existant, aliique aliis subrogentur. » — Quàm autem etiam convenienter talis dignitas delata sit Urbi Romæ, et utrùm ab eâ unquam disjungi possit, nos breviter in *APPENDICE XV* dicemus.

Idem etiam constat 2° *argumento historico*, nimirum è Traditione, unanimi omnium omninò Christianorum sive catholicorum sive hæreticorum ac schismaticorum, à Patribus, immediatis Apostolorum successoribus, usque ad sæc. XIV et XVI, ubi primùm id negavère tum Marsilius de Paduâ (de quo suprâ p. 85) tum dein Protestantium non ita multi, cæteris quippe nobiscum in hoc Traditionem defendentibus. Quæ Traditio non scriptis tantum omnium Patrum nititur sed et vetustissimis monumentis, picturis, nec non festis ac piis Fidelium undequaque peregrinationibus confirmatur (1).

(1) V. Perrone : *De locis theol.*; p. I, n. 546 et ss.; — D. Bouix : *De Papâ*, t. I, p. 42 et ss.; — R. P. Sanguinetti, S. J., *De Sede romanâ B. Petri...*, cujus V. analysim ap. *Et. des Jês.*, 1868, t. I, p. 290; — ac præsertim parvum volumen : *De B. Petri primatu, romano itinere et episcopatu, Zaccariæ, Mamachii et Foggini dissertationes*, iterum impressæ à typogr. *de propag. fide*, Romæ, 1872, occasione nempe publicæ discussionis apud Romam habitæ Catholicos inter et Protestantes quosdam seu Religiosos apostatas, qui vetera antecessorum suorum commenta refricuère (V. in hoc *Revue des sc. ecclés.*, mars 1872 et avril 1873). — Ad ea porro quæ objiciuntur, hæc observare sufficiat : — 1° Non mirum S. Lucam, in *Actibus Apost.* de itinere S. Petri ad Romam mentionem non facere, quippe qui post Apostolorum dispersionem, nonnisi S. Paulum prosequitur. — 2° S. Petrus certè non semper Romæ mansit, sed sæpe inde abfuit, sive pulsus utpote Judæus, sive ad apostolatam passim exercendum; nec semper facile est chronologiam ejus peregrinationum texere. — 3° Perridiculum est objicere nomen *Babylonis* in I Epist. Petri, V, 13, inscriptum, et inde contendere Petrum in Babyloniâ, non in Italiâ, prædicasse et mortuum esse, quum — 1 — figura sit notissima Babylonem pro Româ idololatricâ ponere (V. *Apocal.* passim); quum — 2 — ipsa Epistolæ consideratio intrinseca illam indicet Romæ scriptam esse (V. Perrone, n. 560), et — 3 — omnes omninò Chaldæi-Nestoriani, Syri-Eutychniani, etc., nequaquam Petrum apud suas regiones devenisse aut mortuum esse excogitaverint, sed unanimiter, è contrâ, Romæ, sicut et cæteri, adjudicent (V. quæ eruditissimè conguessit D. P. Martin : *Revue des questions hist.*, janv. 1873). — 4° Nec modò à sæc. IV° traditio nostra incipit, ut perfrictâ fronte adversarii asseruère, quum in tribus primis sæculis allegare est tum SS. Ignatium Antioch. et Clementem Rom. ad hanc satis clarè alludentes, tum cæteros perplures illam quàm expressissimè docentes, uti S. Irenæum,

Indè Concilium Vaticanum (Constit. *de Eccl.*, in fine cap. II) : « Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi » Domini institutione seu jure divino, ut B. Petrus in » primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos » successores; *aut Romanum Pontificem non esse B. Petri » in eodem primatu successorem, anathema sit.* » (Cfr dicta p. 232).

E contrà, II — nulla ex aliis Communione potest apostolicæ auctoritatis sive ex toto sive ex parte hæredem legitimam ac necessariam se ferre. Etenim 1^o, in omnibus *Protestantium* Ecclesiis, Pastores nullam unquam missionem præterquam à seipso vel à Multitudine aut à Principe sæculari acceperunt; — quod illegitimum ac nullum è principiis suprapositis (n. 33, 34, 59), satis probatur (1). — 2^o In Ecclesiis autem *Græcorum* (quibus ne-

Papiam, Hegesippum, S. Dionysium Corinth., Clementem Alex., Caium presbyt. rom., Tertullianum, S. Cyprianum, Firmilianum, Origenem, etc., etc., quorum quosdam jam reperies suprâ cit. p. 118 et ss., plures autem videre est speciatim in notis ad Mamachium, *opusculo cit.*, p. 173 et ss.

(1) Mirum cæteroquin quot ac quantæ fuerint in hoc puncto difficultates et anxietates priorum Reformatorum ac speciatim Lutheri. Qui nempe nunc *missionis* necessitatem negavit, aut eam à Deo immediatè repetiit, nunc à Multitudine, nunc etiam è Doctoratu suo papistico, etc., etc. Summatim, inquit Dœllinger (*La réforme, son développement intérieur*, etc., t. III, p. 199) « sur cet article (de la *mission*) Luther changea quatorze fois » d'opinions en vingt-quatre ans. » — Plurimi itidem Protestantes in magnas inde conjecti sunt angustias et contradictiones (cfr huc D. Ern. Naville cit. in extenso ap. D. De Baudry : *La religion du cœur...* p. 201).

Simplicius profectò (nec non facilius) difficultatem pro se solvunt *Mormones*. Hi nempe, dum suos propè fanatici æmulos, *Iringianos* scilicet, refellunt, qui apostolos quosdam, ad instar priorum, sibi immediatè à Deo constitutos asserebant, multò certior missionem sese habere gloriantur. Nempe inquit unus ex illis Orson Pratz (*Divine Authority*, p. 5). « Si M. Smith (qui proprius erat Mormonum propheta) avait prétendu tenir » son apostolicité du Saint-Esprit, sans aucune ordination par la main » d'un Apôtre, nous admettrions que ses maximes sont fausses et qu'il est » un imposteur. » Verùm in primo ejus baptisate (5 maii 1829), in quo pro patris habuit spiritus Moysis et Eliae, apparuerunt etiam corporaliter

quicquam in hoc Anglicani se æquiparare tentarent) (1), missio quam legitimè ante schisma Pastores acceperant, ipsis extunc vel ipsorum successoribus jam prodesse non potest ut partes Ecclesiæ necessarias se gerant; illà enim privari prorsus meritò ac legitimè potuerunt (2).

présentes Apostoli Petrus, Jacobus et Joannes, qui ei manus imposuerunt ad transmittendam successionem apostolicam l... (cit. à Jorg : *Hist. du Protest.* ap. Fred. Pilgram : *Physiologie de l'Eglise*, p. 208).

(1) In 1^a quidem scissione, sub Henrico VIII, Episcopi Anglicani ejusdem haberi debebant conditionis ac Græci. At postquam ad unitatem catholicam ipsi rediissent sub Mariâ reginâ, in 2^{da} scissione, sub Elisabeth, novus Episcopatus schismaticus qui, ex integro, in locum præcedentis successit, missionem à nemine unquam acceperat præterquam à reginâ Elisabeth, nec aliam successoribus usque nunc transmittere potuit (V. Blanc : *Cours d'hist. eccl.*, l. CLV, 6).

Neque felicius, ad tegendum originale hoc vitium, obtundunt episcopos illos Elisabethanos veram Ordinationem episcopalem suscepisse à Primate suo Parker qui et ipse talem susceperat à quodam Barlow. Ordinatio enim non supplet Missionem (V. suprâ p. 219); ideoque nihil proficerent etiamsi probarent veram ac certam fuisse primam illam suorum Ordinationem. Quæ cæterum sæpe in discussionem adducta est, et omninò invalida fuisse indubie videtur (V. DD. Kenrick, ap. Migne *Theol.*, t. XXV, p. 59; *Etudes des Jés.*, févr. 1866, t. IX, p. 264 et ss.; — itemq. D. Destombes in tribus artic. ap. *Revue des sc. ecclés.*, 1859; etc.; nec non Auctores cit. ap. Blanc loco modo indic.).

(2) Quid verò, de facto, pro pastoribus in tali conditione constitutis?... Certè, si *denuntiati* fuerint excommunicati, omnem eo ipso jurisdictionem amiserunt (V. suprâ, p. 305); imò, si non denuntiati nec jurisdictionem antea acquisitâ privati, eam nihilominus transmittere non potuerunt consortibus suæ rebellionis *notoriis*, ubi lex ecclesiastica id expressè præcaverit et invalidum ac nullum fore declaraverit (sicuti reverà, saltem pro toto Occidente, jamdudum statutum est. V. ap. Migne *Theol.* t. XVII, Collet : *De Censuris*, p. 128; t. XVIII, Pauwels : *De Casibus reservatis*, p. 1451; vel etiam brevius V. *Prælect. Juris canon S. Sulp.*, t. III, n. 770). — Si autem è quâdam Ecclesiæ tolerantia, non impediti fuerint ne jurisdictionem retinerent, et validè transmitterent consortibus ac successoribus (uti quidam non infimi Theologi ac Canonistæ censuerunt pro Græcis; V. *APPENDICEM XVI*); at ii certè ipsâ licitè uti non possunt; ideoque, vel in hac hypothesi, Episcopatus catholicus nequaquam eorum concursu indiget ut plenâ suâ gaudeat auctoritate (V. suprâ p. 306, *not.* 3);

Sola ergo superest Communio Catholico-Romana quæ verè per se totius Auctoritatis apostolicæ hæres existat; et sic iterum per se sola vera Christi Ecclesia esse probatur.

= *Confirmabitur* autem, si ostenderimus illam gaudere quoque per se et exclusivè tum *Catholicitate*, tum *Sanctitate* veræ Ecclesiæ necessariâ. Et reapse

III.

Vera Christi Ecclesia debet habere quamdam, prout exposuimus, *catholicitatem*, et quidem quâlibet aliâ Communionem *præstantiorem*.

Atqui talem reverà habet ex se Communio Catholico-Romana sicut solitum ejus nomen indicat (1), siquidem

I — quidquid mundi patuit civilisationi christianæ, illa pervasit, neque unquam *majori ex parte* tum *quoad extensionem* (cfr n. 72), tum *quoad numerum* (cfr n. 74) tenere destitit; si quid enim interdum perdidit, illud statim aliunde, Deo providente, abundanter compensavit (2). Prætereâ, ultra etiam christianæ civilisationis fines, nulla ferè quamtûmvis barbara regio, progressu temporum, inventa est, in quâ illa non aliquos sibi continuò pepererit filios, quasi in signum pro reliquis et in arrham promissæ sibi universalitatis. Habet ergo verè diffusionem aliquate-

nec proinde ipsi possunt se ferre ut partem Ecclesiæ vel saltem ut partem *necessariam*.

(1) Huc cfr De Maistre, loco jam indic. : *Du Pape*, l. IV, c. v.

(2) Hoc jam observabat Fénelon : *Sermon pour l'Epiph.*, supra cit., et confirmat, quoad recentiora præsertim sæcula, protestans Macaulay aliunde Catholicismo satis infensus, qui inde infert nullam de illius immutatione in futuro dari probabilitatem. Hujus eloquentissimum articulum legere est ap. Migne, *Dém. évang.*, t. XVI, p. 643, vel ampliùs et meliùs, *Conclusion des dém. év.*, p. 1122; — aut etiam ap. D. Nicolas : *Etudes philosophiques sur le Christian.*, t. IV, ch. : *Stabilité du Christianisme*.

nus *universalem*, et illam habet *exclusivè* aut saltem *præminenter*; etenim

II — nulla è cæteris Communionibus, — si separatim à nobis sumatur, sicuti sumi debere probavimus (1), — aliam catholicitatem sibi propriam constituere cogitavit per plura sæcula; imò et *Græci* saltem nec hodie dùm cogitant. *Protestantes* quidem, ab uno circiter sæculo (2), aliquam suâ per universum mundum diffusionem facere magno apparatu magnâque opum vi tentârunt, sed parvo huc usque successu, ut in num. seq. dicitur : unde diffusionem non nisi vacuum sibi attribuere possunt, et inde etiam Catholicismo romano multò inferiores remanent.

Ergo ex hâc etiam notâ Communio Catholico-Romana vera Christi Ecclesia esse probatur. — Item et

IV.

Vera Christi Ecclesia debet *Sanctitate* supra alias eminerere.

Atqui ita reverà se habere Communionem Catholicam ostendemus, ipsam extemplò cum aliis Communionibus comparando 1° quoad *media* Sanctitatis, 2° quoad *effectus ordinarios*, 3° etiam quoad *effectus extraordinarios* seu *miracula*.

Observatio : — Ad hanc notam in Communionem Catholico-Romanâ ostendendam, totam ferè hic repetere esset thesim quam olim, quasi à limine *Tractatus de Verâ Religione*, instituimus de *excellentiâ intrinsicâ Christianismi* et quidem quàm maximè completi, i. e., ut vel primâ fronte apparebat, *catholici*. Illic nempe, è philosophicâ naturæ humanæ exploratione profecti, religionem in Ecclesiâ catholico-romanâ vigentem statim inferebamus à Deo esse, eo quòd legitimis hujusce naturæ necessitatibus atque aspirationibus apprime

(1) Et cfr P. Perrone : *Dissertat.*, ap. Migne *Dém. évang.*, t. XIV, p. 1023.

(2) V. D. Martin : *De l'avenir du protest.*, p. 95 et ss.

respondet. Et nunc, peracto longo per historicam Christianismi demonstrationem circuito, jam è theologica divinarum promissionum notitiâ pariter concludimus Ecclesiam catholico-romanam cum suâ religione à Deo esse, eo quòd apprimè respondet divinis illis promissionibus. — Hujus verò considerationis præcipuos tantùm aspectus (ne jam sub laborum fine infiniti simus) indicare sat erit. Igitur

1^o *media* tum dogmatica tum practica quæ ad sanctificationem hominum apud Communionem Catholico-Romanam proferuntur, si à priori primùm et in ipso conceptu expendas, agnoscere erit certè quàm sibi et purissimis simul Christianismi principiis cohæreant, quàmque reparandæ naturæ humanæ feliciter aptentur. Ita, v. g., tota Sacramentorum œconomia ac speciatim quæ ad justificationem peccatoris et sacrificium ac communionem Eucharisticam attinent; ita, ipsa tota institutio ecclesiastica; ita, consilia evangelica : etc., etc. (1). Nec solùm etiam id

(1) Id candidè evolvit Auctor protestans jam citatus, D. Ern. Naville, qui nempe, postquam systema Catholicum tum quoad doctrinam, tum quoad sacramenta, tum quoad hierarchicam Ecclesiæ constitutionem exposuit, ita concludit :

« Tel est en abrégé le système Catholique. S'il n'est pas de nature à devenir l'objet de notre foi, il a droit du moins à notre respect et à notre admiration. Son étude, en effet, fait connaître toujours plus qu'il est logique, qu'il est beau, et enfin que les bases sur lesquelles il repose, sont profondément enracinées dans la nature humaine. » Hæc tria evolvit, atque in tertium speciatim ita concludit :

«.... Il me semble d'ailleurs qu'il suffit de descendre en soi pour comprendre combien l'Eglise romaine avec les grâces dont elle dispose, et sa divine autorité, trouve d'appui dans les besoins les plus profonds de notre âme. Qui n'a désiré quelquefois, au milieu des polémiques sèches et passionnées tout ensemble qui défigurent la religion du Sauveur, balotté par les flots de l'incertitude et du doute, trouver un port tranquille dans une autorité qui pût lui dire : Ici est la vérité ?

» Qui n'a tourné des regards d'envie sur le tribunal de la Pénitence ?
 » Qui n'a souhaité, dans l'amertume du remords, dans l'incertitude du pardon divin, entendre une bouche qui pût lui dire avec la puissance du Christ : Va en paix tes péchés te sont pardonnés ?

»... Pour moi, je ne sais si je suis seul de mon avis ; mais si je croyais

mirari est in iis quæ tanquam divinitus instituta atque immutabilia traduntur, sed et, proportionè servatâ, in iis ipsis quæ originis merè ecclesiasticæ habentur, ideoque variè quidam pro variis temporibus mutantur, sed semper generatim ad sanctitatem quàm maximè procurandam aptantur (1).

Huc autem si conferas doctrinas et instituta Acatholicorum, quâ parte à Catholicis differunt, multa profectò statim sentire erit mutila et minùs perfecta, uti, v. g., Ecclesiam centro orbatam, et clerum cælibatu destitutum, etiam apud Græcos; apud Protestantè autem speciatim, Eucharistiam ubique ferè Præsentia reali vacuum, Communionem Sanctorum disruptam, Consilia evangelica

» trouver cette puissance surnaturelle que l'Eglise s'attribue, cette puissance, source précieuse et intarissable de réconciliations, de restitutions, de repentirs efficaces, de ce que Dieu aime le plus après l'innocence, debout à côté du berceau de l'homme qu'elle bénit, debout encore à côté de son lit de mort, et lui disant au milieu des exhortations les plus pathétiques et des plus tendres adieux : Partez ; — si je croyais trouver une pareille puissance sur la terre, il est bien des moments où j'irais déposer joyeusement à ses pieds cette liberté d'examen qui parfois se présente à l'esprit comme un fardeau bien plus que comme un privilège. »

(E thesibus in Acad. Genevensi defensis à D^o J. E. Naville, a. 1839, cit. ap. D. de Baudry : *La religion du cœur*....., p. 84 et ss.).

(1) Hic locus esset operi valde utili, quo nempe historicè ostenderetur Ecclesiam nostram per varia sanctificationis media, pro variâ temporum indole, semper sanctam remansisse.

Quod ad nostra speciatim attinet tempora, multùm quidem D^r Pusey scandalizatum se ostendit in hoc quod vocat *systema catholicæ devotionis populare atque practicum* : in quo quidem quædam forsitan hinc et inde reprehendere esset, sed tunc certè non ab Ecclesiâ probata (V. in hæc D. Martin : *De l'avenir du protest.*..., p. 88) ; quæ autem ab Ecclesiâ probantur, facile profectò ab omni reprehensione vindicabuntur (Cfr Newman : *Du culte de la Sainte Vierge dans l'Eglise cathol.* : Réponse au D^r Pusey ; — insertum ap. D. J. Gondon, op. cit. p. 295-409).

Ceterùm quàm ea externa præsertim ac popularis nostræ hodiernæ Ecclesiæ facies parilem etiam in multis referat Ecclesiæ Patrum faciem doctè necnon lepidè ostendit Card. Du Perron, quem V. in APPENDICE XVII.